



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Svmma Totivs Theologiae S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum**

Svpplementvm Tertiæ Partis

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Romæ, 1619**

Vtrum causa repudij sit odium vxoris? 6

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38817**

repudij duo erant permiffa, ſcilicet dimittere vxorem, & vxorem dimiffam alteri iungi: & duo precepta, ſcilicet ſcriptura libelli repudij, & quod iterum maritus repudians eam accipere nō poſſit. Quod quidem, ſecundum eos qui primam opinionem tenent, factum fuit in pœnam mulieris, quæ alteri nuſſit, & in hoc peccato polluta eſt. Sed ſecundum alios, vt vir non de facili vxorem repudiaret, quam poſtea nullo modo recuperare poſſet.

Ad primum ergo dicendum, quod ad illius mali impedimentum, quod committebat aliquis repudiando vxorem, ordinabatur quod vir vxorem repudiatam aſſumere iterato non poſſet: & ideo diuinitus ordinatum fuit.

Ad ſecundum dicendum, quod ſemper licuit indulgere peccanti quantum ad rancorem cordis, ſed non quantum ad pœnam diuinitus taxatam.

Ad tertium dicendum, quod in hoc duplex eſt opinio. Quidam enim dicunt, quod licuit vxorem repudiatam viro reconciliari, niſi matrimonio alteri viro eſſet iuncta. Tunc enim propter adulterium cui ſe mulier voluntarie ſubdidit, in pœnam datur ei, quod ad priorem virum non rediret. Sed quia lex vniuerſaliter prohibet, ideo dicunt alij, quod etiam antequam alteri nuberet, non poterat reuocari, ex quo repudiata erat: quia pollutio non intelligitur quantum ad culpam, ſed vt dictum eſt \*.

## ARTIC. VI.

*Virum cauſa repudij fuerit odium vxoris?*

Ad ſextum ſic proceditur. Videtur, quod cauſa repudij fuerit odium vxoris. Nam Malac. 2. dicitur, Cum odio habueris, dimitte. Ergo, &c.

¶ 2. Præterea, Deuter. 24. dicitur, Si non inuenit gratiam ante oculos eius, propter aliquam fordiditatem, &c. Ergo idem quod prius.

SED contra, Sterilitas & fornicatio magis contrariantur matrimonio, quam odium. Ergo illa potius debuerunt eſſe cauſa repudij, quam odium.

¶ 4. Præ-

poſitã ar.  
3. huius  
9. corp.  
Al. reuo  
cate.

art. præc.  
in reſp.  
ad 5.

285

¶ 4 Præterea, Odium potest causari ex virtute eius qui odio habetur. Si ergo odium est sufficiens causa, tunc mulier posset repudiari, propter virtutem suam: quod est absurdum.

¶ 5 Præterea, Deuter. 22. dicitur, Si duxerit vir uxorem, & postea odio habuerit eam, quæ fueritque occasiones quibus dimittat eam, obijciens ei stuprum ante coniugium: si in probatione defecerit, verberabitur, & centum siclis argenti condemnabitur, & non poterit dimittere eam omnibus diebus vitæ suæ. Ergo odium non est sufficiens causa repudij.

RESPONDEO dicendum, quod causa permissionis repudiandi uxorem fuit vitatio uxoricidij, ut sancti communiter dicunt. Proxima autem causa homicidij est odium: & ideo proxima causa repudij est odium.

Sed odium ex aliqua causa causatur sicut & amor: & ideo oportet etiam aliquas causas repudij ponere remotas, quæ erant causa odij.

Dicitur autem Aug. in gloss. Deuter. 24. Multæ erant in lege causæ dimittendi uxorem: solam Christus fornicationem excepit, ceteras vero molestias iubet pro fide & castitate coniugij sustineri.

Hæ autem causæ intelliguntur scditates in corpore, puta, infirmitas, vel aliqua notabilis macula: vel in anima sicut fornicatio; vel aliqua huiusmodi, quæ in moribus inhonestatem facit.

Sed quidam has causas, satis probabiliter magis coarctant, dicentes, quod non licebat repudiare, nisi propter aliquam causam post matrimonium supervenientem; nec propter quamlibet talem, sed propter illas solum quæ possunt bonum prolis impedire; vel in corpore, ut sterilitas, aut lepra, aut aliquid huiusmodi; vel in anima, ut si esset malorum morum quos filij ex conversatione ad ipsam, imitarentur.

Sed quædam glossa super illud Deuteronomij 24. Si non inuenerit gratiam, &c. videtur magis arctare, scilicet ad peccatum, cum dicit, quod ibi per scditatem peccatum intelligitur; sed peccatum glossa nominat non solum in moribus animæ, sed etiam in natura corporis.

Sic

\* Al. A-  
lias.

† Alias,  
enim.

\* lib. 1. de  
serm. do-

mini in  
monte, c.

25. par. 10  
d. princ.

10. 4.

gloss. in-  
ser. ib. d.

Sic ergo prima Duo concedimus.

Ad tertium dicendum, quòd sterilitas & alia huiusmodi, sunt causa odij: & sic sunt causæ remota.

Ad quartum dicendum, quòd propter virtutem non est aliquis odibilis per se loquendo: quia bonitas causa est amoris. Et ideò ratio non sequitur.

Ad quintum dicendum, quòd dabatur in pœnam viri, quòd non posset in perpetuum repudiare uxorem in casu illo, sicut etiam in alio casu quando puellam deflorauerat.

## ARTIC. VII.

386 *Utrum causa repudij deberent in libello scribi?*

**A**D septimum sic proceditur. Videtur, quòd causæ repudij deberent in libello scribi. Quia per libellum repudij scriptum, à pœna legis absoluebatur. Sed hoc omnino videtur iniustum, nisi causis sufficientibus repudij assignatis. Ergo illas oportebat scribere in libello.

¶ 2 Præterea, Ad nihil aliud illa scriptura valere videbatur, nisi vt causa repudij ostenderentur. Ergo si non inscribebantur, frustra libellus ille tradebatur sibi.

¶ 3 Præterea, Hoc Magister dicit in littera\*. SED contra, Causæ repudij aut erant sufficientes, aut non. Si sufficientes, præcludebatur mulieri via ad secundas nuptias, quæ ei secundum legem concedebantur. Si autem insufficientes, ostendebatur iniustum repudium, & sic repudium fieri non poterat. Ergo nullo modo causæ repudij ibi in speciali inscribebantur.

**R**ESPONDEO dicendum, quòd causæ repudij in speciali non scribebantur in libello, sed in generali, vt ostenderetur iustum repudium. Sed secundum Iosephum\*, vt mulier habens libellum conscriptum de repudio, alteri nubere posset, alias enim ei creditum non fuisset. Vnde in eo erat scriptura talis secundum eum, Promitto tibi, quòd numquam tecum conueniam. Sed secundum Augustinum\*, ideò libellus scribebatur,

li 4. sent.  
d. 33. S.  
C.

lib. 4. antiq. c. 6.  
circa medium.  
\* lib. 19. cont. Faustum c. 26  
circa pr. so. 6.